



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XIII. De Simplici obedientia cujusdam Clerici ac piis ejus actibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

Prædictus devotus Sacerdos in Missarum celebratione quotidianus habebatur, & cum præ senectute ac corporis debilitate Missas celebrare non potuit, nequaquam tamen concelebrare neglexit, nam omnibus missis, quæ in Monasterio celebrabantur præsentem se exhibens devotis orationibus animum occupabat. Tandem decrepitam ætatem attingens Domino DEO fidelem servum suum ad se vocare disponente gravi infirmitate correptus de vitæ hujus miseriis in Electorum consortium, ut speratur, transmigravit.

C A P U T XIII.

De Simplici obedientia cujusdam Clerici ac piis ejus actibus.

Fuit & unus de Discipulis primorum Reformatorum Monasterij B. MEINULPHI nomine Frater Joannes Probus, qui dum in Clericatum primum ad præfatum Monasterium venerat, cerneretque ibidem pomæria præ nimia vetustate corrupta & deficere, magno cum labore operam ad hoc dedit, & ut pomæria nova suis in locis fierent, prout in præsentiarum cernitur esse factum, quibus perfectis & hoc laboravit, ut prædictis pomæriis nucum hortus jungeretur, & licet prædictus Frater, prout frequenter exterioribus laboribus sub obedientia militans deputatus fuerit, tamen mediis temporibus, quibus hoc poterat, libros ad emendationem vitæ perutiles scribere non neglexit, videlicet Climachum, Excerptumque super Psalmos in tribus partibus ex Beati Augustini quingenis: tandem autem præ senectute dum jam oculi ejus minùs clarè videre cæperunt, Lectionarium integrum cum suo Diurnali de licentia Prælati sui conscribebat, de quibus cum quis legerit, rogat hic qui scripsit, ut eum orationis suæ participem faciat propter DEUM. Quodam etiam tempore cum præfatus Frater, de quo agitur, in cella scribendo sederet, Prior suus superveniens & ad januam ejus pulsans strepitum fecit, Frater verò de intùs scribens ac penitùs ignorans quis ad ejus pulsasset cellam, de sede cum velocitate surgens pulsantem intromisit, & dum Prior intromissus scripturam cerneret, quam exarabat, ultimæ dictionis finalem litteram reperit non completam. At Prior interrogans, cur hanc ultimam litteram dictionem complendò minime

mè addidisset? Respondit Frater: Non audebam Pater, nam dum januæ pulsus auribus meis impressus fuit, nolui pulsantem per aliquantulam moram diutius stando contristari, post quod salutare responsum Prior ait in hæc verba: hæc fuit sanctorum Patrum laudabilis consuetudo. Prædictus etiam Frater ante corporales suas refectiões circa Refectorium sedens postquam ibidem orationis Eleemosynam animabus, quæ in locis purgatorij detinentur, secundum laudabilem consuetudinem prædicti Monasterij ministrasset, Refectorium ingressus & *Benedicite* lecto orationem brevem pro se & Conventu fecit, ut ex lectione legenda uterque honorem DEI ac emendationem suæ vitæ promovere mereretur. Consuetudinis insuper prædicti Fratris fuit, ut quicumque in Refectorio orationis suffragium petendo postulasset, ne idem petens suò desiderio fraudaretur, pro eo Angelicam Salutationem ad B. V. MARIAM effundebat. Similiter etiam pro his fecit, qui humiliati in Refectorio aut de terra ibidem manducabant, vel pedes Fratrum ibidem osculari videbantur. Etiam idem Frater, de quo jam fit sermo, talem habebat consuetudinem, ut cum dicendarum culparum aliquis eum proclamaverat, versa vice in gratiarum actionem pro eo Virgini MARIÆ Salutationem Angelicam propinaverit. Cum verò quis prædicto tempore propter excessum susceperat disciplinam, jam dictus Frater, ut disciplinandus de proclamata culpa sese penitus emendaret, simili modo B. V. MARIAM cum Angelica sua Salutatione celeriter salutavit. Supradictus etiam Frater qui noverat utile fore pro Fidelibus Defunctis exorare, in laudabilem duxit consuetudinem, ut quoties de Cella ad Chorum vel de Choro ad Cellam transitum fecit, nisi eum legere contingeret, ad quod ex ordine teneretur, omnibus indigentibus animabus à corporibus seperatis orationis Eleemosynam propinaret salutarem. Idem Frater laudabili hac utebatur consuetudine, quòd omni die ad hoc sibi certo deputato tempore pro Venerabili suo Priore singulariter exoraret; & omni tempore post injunctam poenitentiam pro peccatis suis ratione Confessionis legere solebat unam Angelicam Salutationem pro suo Confessore, illo videlicet, cui ultimo confessus fuit. Prænominatus etiam Frater quasdam scripturas legens scriptum reperit, quàm acceptabile foret B. M. Virgini gloriosæ ferta legere & orare, & fiduciam in eam habens sibi ferta

legere non neglexit. Quodam verò tempore, cùm idem Frater debilitatem senserat sui capitis, timens, quòd ex labore lectionis prædictorum fertorum magna ex parte debilitas talis sibi accidisset, eadem ferta postponebat. Postmodùm tamen cùm se recollegerat, capitis sui læsionem factioni spiritualis inimici magis adscribens quàm labori, quem circa lectionem fertorum fecerat, eadem ferta gloriofæ Virginis MARLÆ, cui omnis laus competit, prout antea solitus erat, legere incepit, & dolorem capitis deinceps non sensit. Frater etiam supradictus, qui erat unus de Discipulis primorum Reformatorum Monasterij B. MEINULPHI, dum post plenariam prædicti Monasterij in suis ædificiis reformationem multitudini Fratrum devotè psallentium ibidem Divini Officij tempore interesset, & mente revolvens quomodo non longo transacto tempore circa dictæ reformationis initium ejusdem Monasterij Ecclesia absque tecto fuerat, ac testudo ipsius desuper velut in saltu crescentibus arboribus plena, viderétque in præsentiarum multitudinem devotorum Fratrum in utroque Choro ferventi voce Dominum DEUM collaudantium, hæc videns, hæc audiens à lætitiæ lachrymis sese interdum minimè continere potuit; mirabatur enim valde, quòd prædicta Ecclesia, quam aliquando noverat stabulum jumentorum, jam jamque Divinâ gratiâ hoc agente facta fuerat locus Canonikorū Reformatorum, mirabatur inquam quòd prædictum Monasterium in tantum depauperatum erat, ut duntaxat unam personam, ultimam videlicet Abbatissam ejus nomine Walburgim cum ancilla sua Kunnegunde enutrire & sustentare non suffecit, prout sibi peroptimè notum fuit, jam in præsentia centum & quadraginta personas Domino DEO fideliter servientes, ipso operante in victu & vestitu sufficiens esset sustentare. Nec hoc solum; nam magna multitudo hospitum ad prædictum concurrens Monasterium multum inibi consumit, ut apparet, in quantum dicti Monasterij pauperculi redditus se extendunt. Et gratias Divinæ Gratiae, quia non alius prædicta omnia administrat, nisi pius Dominus DEUS, qui quodam tempore de sua benignitate quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piscibus magnificè satiavit. Jam quid in scriptis ampliùs de prædicto Fratre relinquere poteris possum? In parte novi Fratrem illum sed utinam plenius agnovissem. Scio quòd Fratres suos secum commorantes in Christo JESU

SU sincerè dilexit. Quapropter vos dilectos Fratres qui Monasterium B. MEINULPHI pro tempore inhabitatis, quod possum, deprecor & exoro, ut cum idem Frater carnis sarcinam deposuerit, pro eo in orationibus vestris maximè circa sacri Altaris sacrificium Dominum DEUM humiliter exoretis,

CAPUT XIV.

De Converso, qui tempore gravissimæ tentationis viriliter egit, ne vinceretur.

Fuit & alius Conversus unus de primis Reformatoribus supradicti Monasterij nomine Godfridus, qui licet multis virtutibus adornatus exstiterit, singulariter tamen continentiae deditus, ea, quæ animum ejus ad carnis molliem impellere videbantur, sapienter declinavit. Contigit namque circa prædictæ reformationis initium, dum adhuc pulcherrimæ mulierculæ vicinia ejusdem Monasterij occuparent suis mansionibus, prædictum Conversum porcos in silvam ad pascendum ducere; & ecce lasciva quædam Fœmina, ut deciperet ac ad lapsum eundem involveret, ipsum sequebatur pedetentim, quæ dum dicto Converso in silva propinquaret, incitamenta, quibus ad carnis copulam incitaret, fecerat manifesta. Sed pius Dominus, qui sanctum Joseph ab impudica muliere impollutum custodivit, & hunc dilectum ejus Famulum ab immunditiæ laqueis magnificè præservavit; nam validus strepitus, ac si lupo ad devorandum inter pecus foret, audiebatur, quem strepitum dum Conversus animadverit, violento cursu, ne malum carnis incideret, fugam inivit. Sicque seductrix mulier spe sua, quam conceperat, defraudata laudabilem fugitivum cum propria confusione dereliquit.



CAPUT